



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio VII. Secunda ratio conciliandi libertatem Christi cum perfectione
necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 15. a. 1.

complacer magis in morte, quam in non morte: si quidem perseverantia præcepti ei non placet magis quam abrogatio. Cum autem Deus offerat reculationem, & acceptionem præcepti, non vult magis vnam, quam alteram.

§. 149. Obijcis: Ergo pro illo primò instanti non potest reculare mortem: quia pro illo Deus magis placet. Nego consequentiam: quia licet pro illo sit præceptum, tamen reculatio mortis non est, vt pro illo instanti præceptum abrogetur: id enim impossibile est; sed pro alijs, pro quibus Deus æquè vult prorogationem, ac abrogationem præcepti: cum enim mors obeunda esset multò post, Deus pro primo instanti potuit illam magis velle: quia tunc nihil obstitit illi maiori desiderio; at pro illis instantibus obistere poterat reculatio Christi: ergo mors non placuit magis, quam perseverantia præcepti: hæc autem non placuit magis: ergo nec mors.

§. 150. Nec potest negari hanc esse apram rationem ad probandam libertatem Christi in substantia mortis: Superior enim, siue Prælatum, aliqua interdum præcipit, ad quæ obligat subiectum; deinde considerans difficultatem subiecti, petentis abrogationem præcepti, illud abrogat. Qui dicunt Christo mortem esse præceptam id illo flagitante, non satis ostendunt rationem communem, & frequentem inter Prælatum, atque subditos: magis adsonat rationi, vt præeat voluntas Prælati voluntati subiecti, quam huius voluntas voluntati illius.

§. 151. Quòd si subiectus senserit vires ægras, aut difficiles, æquum est, vt possit reculationem insinuate præcepti, quo solvatur à Prælato: Deus ergo præiuit voluntati Christi, qua Christus se subiecit voluntati Patris, nolens eam reculare. Sic nobis ostendit, quod Bernardus tantopere laudat in Paulo (serm. 2. de illius conversione) interrogante Deum: *Domine quid me vis facere?* & reprehendit in cæco, quòd ipse præiuerit voluntati Christi interrogantis: *Quid vis, vt faciam tibi?* ille autem dixit: *Domine vt videam.* Bernardus est in id responsum inuectus; quia dicturus erat cæcus ad se non spectare indicare quid velit, sed sequi quæ Deus velle: ita Christus non præiuit Dei voluntati, sed successit. psal. 39. 8. *Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* tam tenerè Christus amavit legem Patris. *Venio.* Deus igitur præcepit, Christus obediuit. Quo item ostenditur Christum missum à Patre in nostram salutem, siquidem eam illi præcepit.

SECTIO VII.

Secunda ratio conciliandi libertatem Christi cum perfectione necessaria.

§. 152. **O**stendi sect. 3. quid sentiendum sit de pura omissione præceptorum: qua mirè componeretur libertas Christi cum impotentia ad imperfectionem: quam opinionem ibi reieci §. 81. vbi asserui me etiam eadem vsurum in parte: quod iam præsto.

SVBSECTIO I.

Christus potuit exercere puras omissiones plurium actuum.

§. 153. **D**ico, Christum potuisse absque imperfectione morali exercere plures omissiones puras plurium actuum. Probat. Christus illis non esset imperfectus moraliter; & aliunde illæ essent possibiles (vt sæpius ostendi): ergo potuit illas habere. Probo antecedens: creatura tunc est perfecta, quando est vnita Deo per gratiam sanctificantem: item quando eius intellectus cognoscit immediatè Deum, & voluntas diligit: item exequitur quicquid Deus vult: nec enim est alia perfectio; nec potest esse imperfectus, qui hæc habet: quia imperfectio consistit in carentia omnium horum bonorum, aut alicuius ex his: sed licet anima Christi exerceat plurium actuum omissiones puras, habet hæc omnia bona: ergo ita est perfectus vt homo, vt per eas omissiones non sit imperfectus. Minor est sine controuersia.

§. 154. Vt autem singula percurramus: conclusio liquet in præceptis naturalibus negatiuis, non furandi, non mentiendi: quæ non exigunt actus positiuos, sed tantum omissiones: ita vt contra ea præcepta non peccetur exercitio actuum positiuorum furandi, & mentiendi: Christus pura omissione furti explet præceptum non furandi: quia Deus nihil ab eo exigit aliud: at Christus censuit sibi non esse satis non furari; sed ex amore in Deum exercuit actum positiuum non furandi, nec mentiendi, sed potius sanguinem fundendi pro hominū salute, & testandi veritatem; *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati:* ergo Christus sine periculo imperfectionis potuit hos actus omittere, & mereri obseruatione præcepti: quia licet non potuerit illud violare, & necessum illi fuerit non furari: at potuit illud hoc pacto non obseruare: & quia hæc obseruatio illi fuit libera, & ex duobus obiectis sibi liberis elegit, quod bonum erat, & æstimatu dignum, reiecto quod nec bonum erat, nec æstimationis vilius; idè meruit apud Deum.

§. 155. Idem probatur in præceptis naturalibus positiuis. Primùm illa non obligant semper, nec pro semper; sed certis temporibus: nec obligant ad certam intensionem, nec ad omnia motiua, nec ad plures actus, sed ad vnum. exempli gr. præceptum religionis: Christus ratione temporis potuit multo tempore omittere voluntatem cultus: item & intensionem actus omittere; & non exercere nisi vnum sub honesto motiua: at à primo conceptionis instanti illum exercuit, antequam diu tempus obligationis; nec ab illo actu cessauit toto vitæ decursu: intendit quæ actum infinitè, illique præscripsit optimum obiectum formale, & circa cultum exercuit plurimos actus diuersarum virtutum. cum igitur in vnoquoque genere posset eligere infima, noluit nisi maxima eligere. Sect. 6. libertatem probavi: quia poterat eligere inter actus inæquales; nunc quia omnes poterat omittere, vel plurimos in intensione, alijsque adiunctis; offerens in singulis circumstantijs plurima æstimatu digna, quæ potuit omittere: meritus ergo est hac heroica obseruatione præcepti, quam

quam potuit omittere per alia de se minus bona mixta mille omissionibus puris. Potuit item amare solum Deum; quem amavit cum gloria externa, & nominis celebritate: in singulis ergo præceptis naturalibus plurima adiecit, ad quæ non tenebatur villo pacto, ob quod meritis est in singulis observandis.

§. 156. De præceptis positivis, siue quæ non sunt naturalia, eadem est ratio. exemplo nobis sit præceptum mortis: in eo accipiendo & recusando, potuit exercere puram omissionem; tacens autem, nec actum vllum exercens, potuit se rejicere in tempus, pro quo præceptum obligaret. Mors illi fuisset libera, fuissetque liber in moriendo, & non moriendo: quia potuisset mortem recusare: at noluit ita se gerere; sed potens purè omittere acceptionem mortis, eam accepit ex affectu charitatis in Deum & proximos, in honorem cultum quæ Dei, in obedientiam præcepti divini, in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, &c. En in accipienda morte quàm multa obtulit æstimationis infinitæ: potens enim eam recusare, non recusavit: potens eam accipere omisiuè, siue non repugnando, eam accepit actibus tam excellentibus: ergo libertas, meritum, impeccabilitas, & necessitas ad perfectionem rectè componuntur hoc pacto.

§. 157. Tandem in actibus, quibus obediuit, est similis libertas: cum enim posset se permittere sine actu positivo morti, etiam in occasione illius, non fugere, & omittere plures actus: at noluit, sed actu positivo noluit fugere, imò voluit se offerre: *Ecce manus me iradentis propinquat: surgite, eamus hinc.* Hoc autem quam ob causam? *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* mortem amavit, pro nobis obtulit actibus infinitis multitudinem & intensiorem. O quàm dives est thesaurus meritorum Christi! quàm multis nominibus sibi Deum devinxit!

§. 158. Est autem hæc ratio commodior, quàm electio inter actus de se inæquales, quam sect. 6. probavi: quia in ea electione semper est argumentum ab æqualitate operum ut existentium cum dignitate infinita personæ. Quamvis enim tibi arbitrator satis esse responsum; at illi argumento nec locus est in hac sententia: cum enim electio sit inter actum positivum, & puram eius omissionem; & ommissio non sit moraliter bona, nec æstimata digna, non potest esse æqualis actui: Christus ergo obtulit liberè actus infiniti valoris potens exercere puram illorum omissionem, quæ nullius est momenti: atque hac ratione plenè & planè sit satis huic toti quæstioni.

SUBSECTIO II.

Ad argumenta.

§. 159. **O** Bjcis: Ergo Christus potuit esse imperfectus. Distinguo consequens: imperfectio purè physica, concedo consequentiam: nego autem imperfectio morali. Primum quidem, quia actus charitatis melior est carentia sui: carentia enim actus est malum transcendentele; sicut bonitas entis est bonum transcendentele: ut autem aliquid sit physice imperfectum, satis est careere forma physica, quam potest habere: imò et si eam non possit habere: lapis enim est in specie imperfecta, quia non est homo; & creatura est imper-

fecta, eò præcisè quòd creatura est. in proprio autem genere est aliquid imperfectum physice, quando caret aliquo, quod potest habere: deest enim illi aliquid, cuius est capax. Hoc autem non magis repugnat Christo ut homini, quàm aliæ physice imperfectiones. Secundum verò repugnat, est quæ longè à Christo: quæ ratione amoris beatifici fuit summè perfectus: quia non caruit coniunctione cum ultimo fine; sed potius illi vnitur omnino necessario actu infinite intento, & visione solius Dei: ut dixi disp. 54. §. 134. Item amavit ob Deum omnia amabilia propter ipsum actibus infinitis categorematicè infinite etiam intensus, ortis ex infinitis cognitionibus beatis, quas adstruxi eadem disp. 54. §. 135. Item Christus nihil prætermisit à Deo præceptum, aut infirmatum: quo ergo ex capite potuit esse imperfectus? licet enim careret perfectione aliqua morali, cuius esset capax: at illa perfectio non est moraliter debita nec ex præcepto, nec ex consilio: careret quidem illa perfectione; at sine debito illam habendi: at imperfectus non est, qui caret aliquo non debito stricto, aut lato: sed ad imperfectionem moralem exigitur debitum ex voluntate Dei; quo differt à physica imperfectione.

§. 160. At inquit: Pura ommissio est imperfecta in genere moris: ergo non potest esse in Christo. Probo antecedens. Primum, quia est libera, & non bona. Secundò, quia Deus magis sibi complaceret in Christo bene operante, quàm omittente. Distinguo antecedens: est imperfecta relata ad obiectum, & alia principia physica, concedo antecedens; est imperfecta moraliter relatione ad voluntatem Dei eam non prohibentis, nec consulentis actum oppositum, nego antecedens. Ad primam probationem, respondeo omissionem liberam, & non bonam, esse imperfectionem moralem, quando est contra desiderium Dei; secus, quando non est: tunc enim retinet imperfectionem transcendentalem. Ad secundam probationem, fateor Deum plus sibi complaciturum in Christo ut bene operante, quàm ut omittente: quia ut omittens non exercet obiectum amoris, secus ut operans. Hinc autem ego probò æstimationem operum Christi: quia illa obtulit Christus in abstracto & concreto æstimabilia, potens nihil offerre æstimabile nec in abstracto, nec in concreto. Hæc autem complacentia non est maior, ut responderet desiderio, sed ut responderet entitati & perfectioni actus; Deus enim offerens auxilia, ea offert, ut Christus operetur, si velit; ad quod ei tribuit inspirationes: at si nolit operari, nihil facit contra desiderium Dei.

§. 161. Hinc argues: Ergo Christus tenetur lege perfectionis exercere illos actus. Probo consequentiam: quia ad perfectionem spectat non solum exercere ea, quæ Deus æquè desiderat; sed etiam in quibus magis sibi complacebit complacentia transcendentele, terminata ad maiorem bonitatem transcendentalem obiecti. Quod patet: quia si puræ creaturæ proponantur duo actus inæqualiter perfecti secundum se, æqualiter tamen à Deo desiderati; essent quæ actus charitatis, & misericordie: si eligat charitatem, erit perfectior: quia desiderium Dei est æquale; complacentia autem in charitate, ut existente, est maior: sed sequi maiorem complacentiam Dei, pertinet ad maiorem perfectionem moralem: ergo ad perfectionem Christi pertinet

S. Thom.
4. 15. 4. 1.

pertinet exercere actus positivos, non verò puram omissionem: quia Deus sibi magis placet in Christo ut operante, quàm ut omittente.

§. 162. Responsioni præmitto, non pertinere ad perfectionem moralem procurare objecta meliora transcendentaliter, sed tantum actus liberos honestos consentaneos voluntati diuinæ, & in quibus maiorem habeat complacentiam moralem, id est, quæ sit principium præmij, quod aperte probatur: actus voluntatis indifferens magis placet Deo transcendentaliter, quàm eius carentia: hæc enim non est obiectum amoris huius, secus ille. Item magis placet Deo visio corporea, & lux inherens inani, quàm earum qualitatuum carentia: Christus autem melior esset transcendentaliter volens indifferenter, quàm non volens; videns, quàm non videns; lucidus manu, quàm tenebricus. Nec tamen spectat ad eius perfectionem moralem has qualitates procurare: ob quod Christus amans Deum his actibus non solum exercet objecta in abstracto, & secundum se meliora, quàm omisso; sed etiam concretè est melior transcendentaliter amans, quàm non amans: Deo que magis placet hoc genere complacentiæ transcendentalis: quia unio hypostatica nihil mutat transcendentaliter hos actus, nec qualitates: quia illis non vnitur Verbum.

§. 163. De complacentia morali est diuersa consideratio, utrum pura creatura teneatur lege perfectionis eos actus procurare: qui licet æqualiter procurentur à Deo, tamen ut existentes magis placebunt Deo in genere moris, id est, terminabunt complacentiam, quæ ex genere suo sit principium maioris præmij, ut disputauimus §. 140. in Christo autem non pertinet ad maiorem perfectionem, nisi procurare actus magis consentaneos desiderio Dei, ut ostendi §. 141. illi enim iam existentes æquè placent Deo in concreto, si sint supernaturales: quia à supposito diuino in eo genere æqualiter significantur: quilibet enim actus supernaturalis meritorius dignificatur ad omnia præmia possibilis, ob infinitam Dei complacentiam in Christo ut bene operante. Item Christus potest considerari, ut habens alios actus liberos supernaturales distinctos ab ijs, de quibus disputamus: vel potest considerari nulum alium habens supernaturalem. In prima consideratione non tenetur Christus lege perfectionis moralis procurare hunc actum, à Deo nec præceptum, nec consultum: quia licet comparatus puræ omissioni sit melior, quàm illa; tamen in eo euentu non reddit Christum meliorem moraliter, id est gratiorem Deo: quia quodlibet opus supernaturale Christi reddit Christum dignum amore infinito, & omni præmio possibili, si sit liber: noui autem actus non augent eius sanctitatem ut meritoriam, non quidem propter actus ipsos, qui inæquales

sunt, sed ratione suppositi. Si verò Christus esset sine alio actu, teneretur lege perfectionis ad hunc exercendum: quia tenetur in eo genere placere Deo: at non placeret per puram omissionem (nec fortè per actum naturalem) placeret autem actu charitatis: ergo ad illum teneretur.

§. 164. Adhuc autem dici potest, Christum cum nouo actu positivo esse extensiuè meliorem moraliter, quàm cum pura omissione: quia relatè ad objecta, & causas phisicas, actus habet distinctam perfectionem moralem, & maiorem; licet relatè ad gaudium Dei non sit maius in altero euentu, hoc autem non oritur ex eo quòd perfectio moralis in hoc genere non sit maior; sed quia suppositum eam dignificat infinitè: at Christus ponit obiectum nouæ & infinitæ complacentiæ: nec propterea cum omissione esset imperfectus moraliter: id enim est per dissonantiam à desiderio Dei, ut dixi; vel per suppositum finitè Deo placens: at Christus æquè Deo placet, & est cõformis Dei desiderio.

§. 165. Tandem obijcis: Illa ommissio est indifferens in genere moris: ergo non potest esse in Christo. Probo consequentiam: tum quia actus indifferens non possunt esse in Christo: tum quia indifferens in genere moris est imperfectum. Nego consequentiam. Ad primam probationem, abstineo ab ea quæstione, quæ non est facilis; & dico esse discrimen inter actus positivos, & omissionem, quòd illi sunt de obiecto minime honesto: dedecet autem Christum amare non honesta: ommissio autem nullius rei est amor, sed carentia amoris: est autem diuersum amare non honestum, & non amare, nec tunc ommissio imputaretur ad aliquid. Ad secundam probationem, respondeo illam esse imperfectiorem priuatiam; quia priuat perfectiõne actus, non autem positiuam amantem aliquid non honestè.

SECTIO VII.

Quos actus Christus exercuerit liberè?

§. 166. **N**on est quæstio de actibus charitatis, ortis à scientia beata, quorum necessitas non oritur ex præcipua Christi impeccabilitate, sed ex visione Dei: de quibus agendum disp. sequenti. Actus scientiæ infusæ disquiram ibidem sect. 2. Illi ergo actus erunt liberi, qui à Deo nec præcepti sunt, nec consulti: ut acceptio mortis: item illi, qui in executione præcepti habent aliquid nec præceptum, nec consultum; ut intensiõnem, obiectum formale, & alia. De præcepto mortis disseram disp. 77. Quæ autem hic possunt considerari, expedientur disp. sequenti.